

herbarum, balsami, aliarumque rerum odores, aromata et infinita alia ciborum condimenta : vina et liquores alios diversissimos, generosissimos, ad recreationem canes venaticos, aves prædatorias, etc. Quomodo igitur tantum benefactorem non possumus non amare laudare et benedicere?

Tertio, flores non omnes simul eodem tempore, sed successive, nunc hos nunc alios subministrat, ut per totam æstatem; et in locis calidis (uti in Ægypto, Neapoli, et Genua Italiae, et Hispania, et Africa) per totum annum habeant flores, alios et alios. Quin et in terras nostras subinde novi et prius incogniti nobis adferuntur, ut ita benignissimus Deus exilii hujus tædium hac varietate nobis alleviet. Quanta est hæc Dei bonitas! Non solum novos et novos fructus, aves, pisces, pecora pro cibo in singulos fere menses imo hebdomadas, homini providit, sed etiam nova oblectamenta oculorum et narium. Quem admodum enim Assuerus in convivio illo suo, quod exhibuit subditis suis, inter alia etiam ordinavit, ut aliis et vasis cibi inferrentur in convivarum mensas, quo varietas vasorum acueret appetitum et pelleret fastidium, Esth. c. I. ita etiam Deus providit nobis servis suis alios et alios flores, in quibus eorum odorem, decorem et virtutes nobis proponit ad oblectandum animam et tædium fugandum.

Quarto, providit hæc non solum bonis et justis, sed etiam malis et injustis : imo his potissimum, ut per beneficia trahat eos ad sui agnitionem et amorem. Unde Dominus non quævis lilia, sed lilia agri vult nos considerare quomodo vestiantur et muniantur. Quis autem nescit lilia agri esse zizania? Zizania designare homines malos? Si ergo tales, qui sunt instar feni, quod hodie floret, et cras in clibanum gehennæ mittitur, Deus sic vestit; quis cogitare poterit quæ præparavit Deus diligentibus se? Si Nerones, Caligulas, Heliogabalos, Decios, Domitianos in hoc sæculo tam benigne habuit, quid faciet servis et amicis suis?

V. Ostendunt Dei providentiam paternam erga homines in primis. Primo enim, si Deus flores, qui hodie sunt, et cras demetuntur, ita vestit coloribus et odoribus, [nutrit tempestatibus, conservat, et propagat; cur non præstabit id hominibus, qui ipsum agnoscunt, qui ad imaginem ejus facti sunt, eique gratias agere ac servire possunt? Deinde, si dat nobis flores et similia, quæ ad delectationem dumtaxat faciunt, quanto magis dabit ea, quæ ad necessitatem spectant? Si enim in domo amici videres tibi conclavæ ornari tapetibus, pavementum

sterni floribus, spargi odores, adduci musicos, num de cibo et potu ac lecto tibi parando dubitare posses? Non vult quidem Deus nos otiosi, sed sine anxietate in ipsum confidere. Ita enim et lilia, tametsi et ipsa non otiantur, sed succum terræ ad se trahunt et per membra sua disperitiunt; interim tamen absque sollicitudine sunt. Atque hic est primarius scopus ad quem collimat Christus hac florum similitudine, ne, videlicet, anxii et diffidentes efficiamur de Dei erga nos providentia. Quare, meo judicio, non parum errant qui de vini et frumenti proventu jam solliciti, perpetuo accusant jam hanc jam illam tempestatem, quasi jam actum sit de vindemia aut melle. Imprimis enim nescimus nos quæ tempestates et quando conducant frugibus: Deus novit, et quidem exactissime: *Subtiles artifices, ait Rob. Holeot, in lib. Sap. multum indignantur et merito, quando corripuntur et instruantur ab insciis et ignavis artis suæ.* Deinde, Deus paterfamilias noster, nos domestici ejus sumus, et ipsius gratia vivimus. Jure autem doleret paterfamilias, si domestici ejus conquerebantur et murmurarent jam de pane, jam de vino, jam de vestitu, non placito, non sufficiente. Sicut nevrundes, seu porcelli, grunniunt contra matrem quando non dat eis lac ad libitum. Bene Philo, lib. de specialibus, ad finem ait: « Ille rerum parens et conditor, cujus nullum opus est supervacaneum, dentes non ut cætera membra nascentistatim addidit, ne infantem lacte nutriendum gravarent inutiliter, et fontes uberum, per quos alimenta derivantur, vexarent inter sugendum. Innaturale enim illud indicavit, creaturæque indignum rationali: hinc quod animalibus concessit nascentibus, ab illis ademit, et voluit sine dentibus nasci, ne ingrati ubera ferirent. » Ex hujus igitur sapientis sententia, divinæ providentiæ ubera dentibus quasi vexant ac morsicant, qui contra eam murmurant.

Consideravimus ergo lilia, et perspeximus in illis creatorem nostrum potentissimum, sapientissimum, pulcherrimum, optimum, providentissimum. Superest jam ut nos credamus in tam potentem, admiremur tam sapientem, laudamus tam decorum, amemus tam bonum et liberalem, gratiarum actione prosequamur tam providentem, Patrem ac Dominum nostrum; cui sit honor et gloria.

CONCIO V.

SERVITUS DIVITIARUM QUAM MISERA.

Dives servus est divitiarum suarum, quia. — I. Vilissimo munere occupatur. — II. Perpetuo urgetur ut plus laboret. — III. Exiguo et vili cibo pascitur. — IV. Non sibi, sed aliis laborat. — V. Sæpe etiam vapulat, vel probris oneratur.

THEMA.

Non potestis Deo servire et mammonæ. Matth. VI.

Finxerunt veteres simiam a circulatore hac ratione captam et in servitutem redactam. Monstravit ei circulator catenulam, qua visa, petiit simia eam sibi donari. Donat circulator, ejusque collo circumligat velut torquem auream. Sic misera, dum in hac specie sibi placet, capitur et in servitutem redigitur. Mammona hic circulator, seu dæmon ipse est. Monstrat hic hominibus catenam aurei splendoris, nobilium insignie, aurum et argentum. Allecti hac specie homines, torque hac condecorari volunt: sed dum eam accipiunt, laqueum in collo sentiunt, et in miseram servitutem miseri trahuntur. Putantur quidem isti et appellantur domini, sed revera servi sunt suarum divitiarum. Id enim testatur Christus in hodierno evangelio, cum ait neminem posse: *Servire Deo simul et mammonæ.* Ergo qui divitias amat servit mammonæ; servi igitur illius sunt. Sunt certe, nec feliciores Hebræis, cum servirent in Ægypto, ut videbimus.

I. Quid faciendum incumbit servo? Sordidissima quæque opera: stabulum curandum, calcei purgandi, fimo currus onerandus, et similia. Sic Hebræi in Ægypto operibus lutii occupati fuere a Pharaone. Et quid aurum et argentum nisi lutum purificatum et lucidiores terre glebæ? Itaque servorum tantum et servilium ingeniorum est aurum et argentum sitire et tractare. Ac sicut Hebræi in opere illo collutularunt manus ac pedes; ita et divites inquinant animas suas sordibus peccatorum. Sane Habacuc, capite II. appellat divitias *densum lutum*; Paulus ad Philipp. II. *stercora*. Qui lateres faciunt, terram rubram primo quærere et eruere, tum pedibus subigere debent, post manibus tractare et in formam redigere, tum in fornacem lateres reponere ac constringere, denique igne subjecto coquere. Sic avari primo, undique circumeunt, ut pecuniam aut merces conquirant; merces ut vendant, bona verba dare, aut etiam actu uti necesse est; pecunia accepta inspicienda, et si aurum sit, ponderanda est. Tum fit separatio

monetarum deteriorum et meliorum; illæ ad quotidianas expensas destinantur, hæc in capsam reponuntur, et quasi in carcerem compinguntur. Alphonsus Candix dux apud Catalaunos scrinia varia aureis argenteisque nummis variarum regionum implevit, ita compactis et malleo cuneatis, ut eximi nulla vi manus possent. Hospites ergo derisionis gratia invitabat, ut aurum et argentum quale vellent, in quamcumque regionem ituri, inde acciperent: sic delusit simul hospites, et opes suas ostentavit, Valla, l. III. hist. Quinimo sic seipsum miser delusit, dum tam vili labore sese occupavit, et nummorum usu privavit.

II. Perpetuo urgetur et stimulatur, ut plus laboris faciat, mane citius surgat, vespere serius decumbat; et si vel paululum otio vacet, increpatur. Ita præfecti operarum institerunt Hebræis in Ægypto servientibus Pharaoni: *Vacatis otio, dicebant, ite ergo et operamini: paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum*, Exod. V. sicque eis duplicarunt labores, dum coegerunt, ultra pensum laterum, etiam paleas conquirere. Simili tyrannide divitiæ imperant homini, ut plures semper opes conquirit, naviget, equitet, vigilet, cogitet, etc. quia quo quis plus habet, eo incipit plus posse habere, sibi que partis jam opibus comparare: quæ enim procul posita sunt vel difficilia acquisitu, minus desiderantur; quæ vero ad manum sunt, et possessa jam pecunia parabilia, magis avidè quæruntur. Ad hæc, sicut arca nequit impleri scientia, sic animus nequit satiari aut impleri auro. Pyrrhus Epirotarum rex, suo non contentus regno, Romanis bellum inferre cogitabat; cui Cineas legatus id dissuasurus: Et quid agemus, inquit, victis Romanis? Italia, ait rex, tota potiemur. Et quid tum agemus? infert Cineas. Post Italiam, Siciliam capiemus. Ea capta quid porro? Africam nobis adjungemus. Quid insuper? Græciam et Macedoniam invademus. Et quid faciemus his omnibus occupatis? ait Cineas. Tunc, bone vir, inquit, in otio vivemus, comptabimus totis diebus, et mutuis colloquiis nos oblectabimus. At Cineas: Et cur hoc jam non faciemus, cum omnia nobis ad manum sint, ut possimus jam in otio degere, compotare, et confabulari? Suasit, sed non persuasit, Plut. in Pyrrho. Sic stultus ille, cum jam esset dives, (Luc. XII.) possetque frui bonis suis, videns uberes agri sui fructus, vult destruere horrea et majora facere, et tum dicere animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.*

III. Exiguo et vili cibo pascitur, nec diu ad

mensam sedere permittitur, surgere mox, et labores repetere jubetur. Idem experti in Ægypto Hebræi; qui cæpis, alliis et porris ac cucumeribus se victitasse aiunt. Olim servis polentam molentibus paucis ad collum inserebatur, ne, dum molebant, polentam comederent, apud Jul. Pollucem onomast. lib. VII. c. IV. Quid aliud servus esuriens, nisi dives inter opes satiare ventrem non audens? Hoc enim ei prohibent ipsæ divitiæ. Audi Ecclesiasten, c. VI. *Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo.* Cujus exemplum recenset Sanctus Ambrosius, in lib. de Naboth, cap. IV. «Novi ego divitem, inquit, in agrum proficiscentem panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum ne quid de conditis minueretur.» (Similem non procul a Narnia Umbriæ civitate, fontem describit Leander in Umbria, nunquam scaturientem, nisi cum annonæ penuria propediem futura est.) «Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ovum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatur vindicem esse Dei justitiam, quæ lacrymas pauperum nostro ulciscatur jejunio.» Sic ille. Fœdus est quod Poggius Florentinus, apostolicæ sedis secretarius in disputatione de avaritia narrat de quodam, qui cum maximas congestisset divitias, filii autem adolescentes domi sumptuosius cœnarent inter symphonias et cantus, magno dolore tacitus hæc ferens, semel tandem excitatus perstreptentium convivarum vocibus, summa cum anxietate prodiit tamquam e carcere e cavernula sua insulatus corvino vultu ac subrancido, vix conspiciens lucem, ac desuper contemplans discumbentes, magna voce appellavit dispensatorem, etc. «En, inquit, postquam filii bona hæc meo sudore parva comensationibus ac deliciis consumere pergunt, ego quoque mihimet volo indulgere et dare me voluptati. Mihi acta est ætas; illi de se vidrent: perdant omnia, ut libet, proffigemus dum res suppetit; eme lactucam mihi, ut nos etiam convivemus.» O prodigum Apicium! Imo o sordidum Euclionem.

IV. Non sibi sed hero suo laborat et lucratur: sicut Hebræi in Ægypto non sibi sed Pharaoni laborabant, lateresque coquebant. Ita et avari cogitant diu noctuque, vigilant, navigant,

currunt, laborant, non tam sibi quam aliis: similes felibus Libycis; hos enim Gymnesiæ, populi in Hispania, cuniculorum infesta multitudine vexati, cum ex Africa ad capiendos cuniculos attulissent, non nisi ore obligato in foramina cuniculorum immittebant, quo fiebat ut prædam excuterent aut unguibus lacerarent, minime tamen vorare possent, Strabo, l. III. Sic dæmon deludit avaros, quos instigat ad capiendas opes, quam tamen ipsis non concedit, sed alienis donat. Similes Midæ regi Phrygiæ ditissimo, qui ut multas pecunias corrogaret, cibis etiam parcissime fruebatur omniaque prope victui necessaria vendebat et in aurum convertebat. Hinc illi aures asininæ pingebantur, quod asinorum instar pretiosa humeris gestaret obsonia, non sibi sed aliis: ipse interim labruseis rapisque victitaret, vel, ut Plutarch. de cupid. divit. scribit, instar asini balneatoris: *Ligna et malleolos identidem adportaret, fumo interim semper oppletus, in nullam lavacri, caloris, munditiæque partem veniret.* Quod etiam expressit Ecclesiastes, loco supra cit. cum addidit: *Sed homo extraneus vorabit illud.* Quod exponens Chald. paraphrasis: *Etenim, inquit, uxor ejus tradetur viro alieno, qui hæreditabit eas et comedet ipsas (divitias). Omnis hujus rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fecerit ex illis quidquam boni, etc.* Minatur etiam iis verbis diviti subitam mortem, qua præpeditus non poterit facere testamentum, sicque fiet ut ad extraneos devolvatur aut diripiatur hæreditas. Nota est punitio avari (in vita S. Spiridionis episcopi Trimithuntis) qui frumentum in horreo oclusit, nec pauperibus ex eo quidquam communicare voluit; ejus horreum postero die illuvione aquarum dejectum, in prædam cessit pauperibus, 12. octobr. apud Surium.

V. Sæpe et levi de causa vapulat, vel probris oneratur ab hero. Sic Hebræi, operum præfecti, in Ægypto ad finem diei flagris cadebantur. Idem contingit avaris. Nam imprimis: *Divitias qui habent*, inquit B. Prosper, l. II. de vita contempl. c. XIII. *sine labore non quarunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Exemplum habemus in Achab, qui cum ejus oculos verberaret vinea Naboth, projecit se in lectulum, et avertit faciem ad parietem, noluitque cibum sumere, ita ut ægrotare quasi cepit, quia non poterat habere eam, III. Reg. XXI. Quo exemplo recensito, subjicit aliud S. Chrysost. hom. de avaritia, tom. V. «Siccitas quondam occuparat civitatem nostram, et videre erat cælum factum æneum, et mortem omnium gravissimam in dies expectari, Deumque invo-

cari, ut metu illo liberaret: ejus benignitate præter omnem spem multa et immensa pluvia superne decidit. Omnibus igitur celebritatem et festum diem agentibus, quippe qui ab ipsis portis mortis reverterentur, dives quidam tristis, dejecto animo mœrore, mortuus obambulabat. Cumque multi eam causam rogarent, ne continere quidem intus potuit, sed cum tyrannide acerbi istius morbi pungeretur, causam in medium protulit. Decies enim mille, inquit, frumenti mensuris deinceps quid faciam, non habeo. Quid ais? Quod non omnes perierint, ut tu aurum accumules, etc. » Scimus quo adegit Judam avaritia, ad Christi scilicet prodicionem, et inde ad laqueum, ab hoc in gehennam, et servitum tartaream. Quod accidit etiam avaro illi, qui thesaurum sub tecto occultaverat. Supervenit enim prodigus quidam, qui decocta sua substantia et desperatis rebus, dum eodem loco laqueum trahi aptat, vitam sibi erepturus, ecce thesaurum illum reperit, relictaque reste, lætus abiit. Avarus postea rediens, cum thesaurum non invenisset, laqueum a prodigo in trabe relictum præ mœrore et desperatione collo suo aptat, sibi que gulam frangit. Refert ex Platonis

epigrammate ad phylargyros Laertius et Ausonius. Cui simillimum est quod refert Valentinus Leuchtius, in viridario regio, l. IV. p. II. c. XXIII. de avaro, qui, ne cogere mutuum dare indigentibus, defodit ruri aurum suum, quo dicere posset, se nec obolum in domo sua habere; quod etiam respondit patrino suo liberorum mole presso adeo, ut actus in desperationem sit. Qui cum laqueum ramo arboris alligasset, sed altius quam attingi collo posset, quæsivit lapidem, cui insisteret. Eo reperto et sublato, deprehendit quid defossum esset, et invenit thesaurum patrini sui. Eo ergo onustus valedixit arbori, et reversus domum lætus, inde cum suis vixit. Avarus postea requisiturus aurum suum, cum ablatum cernebat, præ animi mœrore desperans, laqueum, quem pauper in arbore reliquerat, suo collo induit, justissima Dei vindicta.

Verissime igitur apostolus, I. ad Tim. VI. dixit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli: et S. Chrysost. hom. II. ad pop. Avarus custos est non dominus pecuniarum, servus non possessor; facilius enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defosso auro communicaret. qua turpi servitute custodiat benignus Deus.*